cause et iudicia episcoporum recurrant et iuxta eius sententiam terminum sumant. Hoc vult beatissimus Augustinus xxiiii q. i c. pudenda in fi. Nam quamvis dissentiunt alie ecclesie cum ecclesia romana negari non potest quin sit scisma et ecclesia nullo modo recte potest dici ecclesia in qua est scisma sed cum ecclesia nulla esse non possit illa erit in qua apostolice sedis sententia sit que hominum malicia extingui non potest dicto c. pudenda in fi. Et hoc videtur velle beatus Thomas secunda secunde q. i articulo x et Ambrosius xxiiii di. c. omnes in fi. dum dicit quod sequitur magistram romanam ecclesiam. Ex quibus concluditur quod si iudicandus est unus episcopus illum papa iudicet non synodus provincialis ii q. vi quamvis. Idem si est dissensio inter archiepiscopos vel in ecclesia de causa fidei sedes apostolica iudicet. Et si est in ecclesia dissidium et in una sententia confluat sedes apostolica id est papa cum romana ecclesia specialiter sibi coniuncta et in alia sententia sit alia ecclesia vel alii episcopi iudicium sedis apostolice attendatur nisi alia ecclesia universalis habuisset aliquod vel haberet iudicium apostolice sedis contrarium tunc preferretur ecclesia universalis a qua noviter ecclesia romana discreparet tamen non credo fore possibile quod ipsa niet romana ecclesia discreparet a iam statutis per seipsum. Idem si sit contentio inter exemptos vel inter concilium et ibidem convenientes tunc sedis apostolice sententia attendatur non aliorum qui ab ipsa discreparent. Et hoc determinat ut dixi Thomas in secunda secunde q. i articulo x. Solius autem pape iudicium submittitur iudicio concilii universalis in hiis casibus in causa fidei scismatis et ubi agitur de bono universalis ecclesie. Et ita postremo statuit diebus meis generale constantiense concilium sed debet intelligi sane de concernentibus bonum universalis ecclesie principaliter non secundario l. ii in fi. ff. ad municipalem. Unde conferre beneficia uni magis quam alteri respicit bonum universalis ecclesie secundario. Ideo debet attendi factum pape non concilii. Item in causis fidei et scismatis ideo submittitur papa quia ista sunt de iure divino cui papa etiam tenetur obedire ut teneat cum ecclesia ea que sunt fidei et quod non foveat scisma et quod non ledat universalem ecclesiam ut supra dixi. In aliis a predictis papa est subditus legi positive de honestate l. digna vox C. de legibus non quod a concilio cogi possit l. princeps legibus ff. de legibus et est textus xxv q. i in hiis

ita respondetur. Modo habetis conclusionem an pape vel concilii universalis vel romane ecclesie sententia sit potius attendenda et an concilium universale possit errare et quomodo ita intelligo istam profundissimam materiam cum protestatione quod me refero ad determinationem sancte matris ecclesie si in quibus predictis aliter determinaret. Deo gratias.

Finitus est hic solemnissimus tractatus conciliorum [illegible] die primo septembris editus per utriusque iuris monarcham dominum Antonium Rosellis de Arecio.

Decretum concilii Basilien. super electionibus prelatorum

Sacrosancta generalis synodus Basiliensis in spiritu sancto legitime congregata universalem ecclesiam representans ad futuram rei memoriam. Etsi que laudabiliter per nos ordinationes statuta sunt decreta ut in maiori certitudine testimonio pandantur de illis oblivioni credantur legitima documenta. Dudum siquidem inter alia statuta et decreta in sessione nostra publica in maiori ecclesia Basiliensi anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo tertio iiii idus Julii celebrata solemniter publicatum exstitit decretum cuius tenor sequitur in hec verba. Sicut in construenda domo prima cura est architectori ut tale iaceat fundamentum super quo firmiter perduret edificium ita in generali ecclesie reformatione potissima cura huius sancte synodi fuit ut tales ecclesiis preficiantur pastores qui tamquam columne et bases ipsarum ecclesiarum doctrina et moribus firmiter sustineant. Cura autem in electionibus prelatorum debita adhibenda est quanto periculosius est eos incaute ordinare. Ad regimen enim assumuntur animarum pro quibus dominus noster Ihesus Christus mortuus est et sanguis eius preciosus effusus. Propterea sacri canones spiritu dei conditi de preficiendis prelatis statuerunt ut magis ecclesia ac collegium sive conventus canonice prelatum eligant. Quibus hec sancta synodus eorundem sacrorum canonum inherens statuit et diffinit generalem reservationem omnium ecclesiarum metropolitanarum cathedralium collegiatarum et monasteriorum ac dignitatum electivarum per Romanos pontifices de cetero fieri non debere reservationibus in corpore iuris clausis et hiis que in terris Romane ecclesie ratione directi seu utilis dominii mediate vel immediate subiectis sunt exceptis. Sed quod per electiones ac confirmationes canonicas secundum iuris communis dispositionem per ecclesias metropolitanas cathedrales monasteria et collegiatas ecclesias ac dignitatibus electivis vacantibus debite provideatur non derogando propterea statutis privilegiis et consuetudinibus rationabilibus quibuscumque postulationibus et dispositione iuris communis emanentibus. Decuitque hec sancta synodus rationi fore consentaneum et rei publice accommodum ut summus pontifex salubre decretum huiusmodi nichil acceptet nisi ex magna rationabili ac evidenti

causa in litteris apostolicis nominatim exprimenda. Et
ut eo firmius hoc salubre decretum custodiatur, vult
eadem sancta synodus ut inter alia que Romanus
pontifex in sua assumptione profiteri debet, inter
cetera hoc inviolabiliter observare. Et quoniam electores,
ut predictum est, oportet eos prelatos habere ad quos
ius pertinet eligendi, omnem curam adhibeant,
ut dignam coram deo et hominibus electionem
faciant, expectantes inde reportare solli-
citudinis premium, ut talis eligatur qui tanto officio suf-
ficere valeat. Electores qui sive dolose vel
negligenter aut timore dei postposito indignum re-
tamen scienter elegerint, sciant auctores erunt
et cum malorum pastorum ita participes fient
penarum quas ipsi mali pastores in districto
dei iudicio patientur. Et cum humane fra-
gilitatis conatus nostri sine omnipotentis dei suffra-
gio nequeat efficere, a quo omne datum op-
timum et omne donum perfectum descendit,
Adveniente die electionis hi ad quos po-
testas vel alias electio spectat, electionis in ecclesia co-
veniant, missam cum devotione de
spiritu sancto audituri, qua finita exorabunt
ut eos ad dignum eligendum pastorem inspirare
dignetur. Et ut eo facilius graciam hanc ob-
tinere mereantur, qui devocius ad actum electio-
nis accedant contriti et confessi sacramentum eukari-
stie recipiant. Ad locum vero electionis in-
gressi, quilibet eorum prelato quem per electionem assu-
mere intendit, in manibus eius qui capitulo presi-
dere debet et coram presidente in manibus eius immediate
sequentis sub hac forma: Ego N. iuro
et promitto omnipotenti deo et illi sancto vel sancte
sub cuius vocabulo dedicata est ecclesia, eum
eligere quem credidero futurum ecclesie in spiritualibus
et temporalibus utiliorem, nec illi vocem dabo
quem verisimiliter sensero promissione aut datione
alicuius rei temporalis seu prece per se vel alium
interposita aut alias qualitercumque directe
vel indirecte pro se electionem procurare.
Idem iuramentum prestet confirmator et quicum-
que qui constituit procuratorem ad eligendum etiam
personam [illegible] procurator, quamvis ad eligendum
constitutum in casibus in quibus secundum iuris
dispositionem in huiusmodi electionis negocio per
eum constitui potest. Et hec iuramenta
prestet alias hiis quos contingeret super electione
futuri prelati se compromissum quod eos constitui
et [illegible] teneat, quod si predicta non fecerint
pro illa vice sint eligendi ipso iure potestate
privati. Deinde eligatur in pastorem
prelatum virum etatis legitime, moribus gravem,
litterarum scientia preditum, sacris ordinibus consti-
tutum et alias ydoneum secundum canonicas sanc-
tiones. Et si aliter et de alia persona
quam ut predictum est a summo pontifice

electionem fieri contigerit, electio sit ipso iure
irrita et inanis, et sit summo pontifici electores
preter alias penas punire; sit ipso facto
in electionem privati. Alias vero canonicis penis
subiaceant. Summo autem electi et qui
huiusmodi summo pontifici electionis participes fuerint,
taliter eligentes et confirmantes in horrorem
tanti criminis pena excommunicationis ipso facto in-
currant, nec a tali reatu et excommunicatione electi
et confirmati absolvi possint nisi ecclesias et
dignitatibus ad quas tempore assumpti sunt libere
resignaverint, et ad eas obtinendas quas
nephario modo adepti sunt perpetuo reddantur
inhabiles. Ad tollendam autem
omnem ambitionis radicem obsecrat per
viscera misericordie Ihesu Christi hec sancta synodus
ac instantissime exhortatur reges, principes,
[struck through] Comitates et alios quacumque auctoritatis
et dignitatis existant ecclesiastice vel mundane,
ne electoribus litteras scribant vel preces porri-
gant, per eos qui per se vel alium tales litteras
vel preces providerint, multoque minus comminationes
impressiones aut alia faciant quominus libere
ad electionem procedatur. Electores in virtute sancte
obedientie ipsis electoribus precipit ne ad huiusmodi
litteras vel preces comminationes vel impressiones
ut premittitur quecumque eligere presumant
confirmandum aut electorem; et cui hoc ius pertinet
confirmandi putatur si appareat electores
vel se opponentes electionem nominatim vocet
ad videndum et audiendum electionis negotium.
Et nichilominus generaliter edictum publice in
ecclesia in qua facta est electio proponatur,
iuxta constitutionem felicis recordationis Bonifacii
VIII Cum in cunctis aut alias vel non
[illegible] ipso confirmator ex officio
tamquam in negocio inquisitionis procedat,
omni adhibita diligentia. Et tam formam
electionis quam merita electi et omnes circumstantias
debite examinet et discutiat. Et si electio
confirmanda sit vel infirmanda iudicialiter
confirmet vel infirmet. Et ut omnia munde
et sine labe ac labis suspicione procedat, non
solum exigere aliquid quantumcumque parvum
sed etiam quodlibet oblatum confirmator recipere
confirmationis sub nomine subiectionis subsidii
consuetudinis aut alio colore pretextu cuius-
vis consuetudinis aut privilegii per se vel
alium recipere presumat. Notarius autem
et hiis qui servierint in huiusmodi causis emolu-
mentum aliquod moderatum recipere, habendo
respectum ad laborem et operam suam, non
ad fructuum prelature valorem. Si vero
confirmatores predicti electores non servantes
superius ordinata et de personis non ydoneis
ut premittitur electas vel alias per summo pontifice
penitate confirmaverint, eo ipso confirmatores
huiusmodi sint ulli. Confirmantes autem alias
personas quam superius dictum est per ea vice per summo pontifice

aut labem precio ipso facto incurrant confirmandi
sint privati. Et metropolitani ipsi autem
Romanam labem si eam commiserint etiam
similiter confirmacionis incurrant eo ipso a
qua nisi per Romanum pontificem preterquam in
mortis articulo absolucionis beneficium obtinere
non possint. Summum vero pontificem eciam
hec sancta synodus exhortatur ut ad
speculum et normam omnis sanctitatis et mundicie
esse debeat pro confirmacione earum elec-
cionum quas ad eum deferre contigit
nichil penitus exigat vel recipiat.
Alioquin si secus faciendo notorie et incorri-
gibiliter ex hoc ecclesiam scandalizet futuro
Concilio deferatur. Pro omnibus autem
que ipsum pro regimine universalis ecclesie
subire oportet et pro sustentacione sancte Romane
ecclesie cardinalium et aliorum necessariorum offi-
cialium hoc sacrum concilium ante sui dissolucionem
omnino debite et convenienter providebit quod con-
tingat aliquem contra hanc provisionem non
facere. Per hec eadem sancta synodus non
intendit in aliquo preiudicare sancte Ro-
mane et universali ecclesie nec alteri cuiquam.
Datum Basilee in sessione publica eiusdem
sancte synodi in ecclesia maiori Basiliensi
solempniter celebrata VIII idus Julii Anno
a nativitate domini millesimo quadringentesimo tricesimo tercio.
Nos igitur volumus et auctoritate ecclesie
decernimus et ... tenori constitucionis
huiusmodi in iure et extra ubicumque exhibite
fuerit vel ostense in omnibus stari debeat
et fides plenaria adhiberi. Nulli ergo omnino
hominum liceat hanc paginam nostre constitucionis
et voluntatis infringere vel ei ausu te-
merario contraire. Si quis autem hoc attemp-
tare presumpserit indignacionem omnipotentis
dei et universalis ecclesie se noverit incursurum. Datum
Basilee II kalendas Augusti Anno a nativitate
domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto

Hec infrascripta menti teneas quia ra-
rissime aliquid exprimitur de Anno Iubileo
scriptum et propter karitatem Jo. de Anania iuris
utriusque doctor Cathedralis ecclesie Bononiensis
archidiaconus pro singulari munere scolaribus
suis ea tradidit in Anno Iubileo.

Et primo scias quod de anno iubileo fit mentio
in veteri testamento et potissime hoc patet ex hiis
que habentur in libro Levitici xxv capitulo post principium ubi
dominus in monte Synai ad moysen dixit Sancti-
ficabis annum quinquagesimum et vocabis remissionem cunctis
habitatoribus terre tue ipse enim est iubileus
revertetur homo ad possessionem suam et unusquisque
redeat ad familiam suam pristinam quia iu-
bileus est et quinquagesimus annus. Fit
etiam mentio de isto iubileo secundum Baldum(?) xvi di-
stinctione sed constitucionibus ... glossa sed ibi quod
moyses cepit iudicia sua ab istis constitucionibus
et reddit ibi super ista glossa que ibi sequitur d.
dominus et specifice allegat istud textum dicens
quod erat annus iubileus in veteri testamento quolibet
quinquagesimo et tunc qui erat servus effi-
ciebatur liber et carcerati liberabantur
ponderantes(?) tamen sed. Alexander probat de carceratis.
Fit etiam mentio de iubileo de pe. di. i.
c. fine in c. qui domum suam vel agrum
ubi in textu alia dicitur quod in iubileo plena remis-
sio prestabatur. Unde per eum prefecte peccati remis-
sio figuratur. Et glossa ibi Et a pena peccati est
etiam ibi glossa i. que incipit ad evidentiam
et dicit quod in anno iubilei fiebat plena
restitucio Archidiaconus ibi super verbo iubileo dicit quod dicitur
annus iubilei i. annus remissionis quia
illo anno debita remittebantur et servi hebrei
revertebantur liberi et omnia revertebantur
ad pristinum statum. Dicit etiam Archidiaconus super
dicta glossa in verbo ad evidentiam quod annus iu-
bileus significat plenam remissionem que fit in
ecclesia et hoc sequitur etiam ibi dominus Dominicus
hoc etiam ibi et declarat Archidiaconus quod sacerdos com-
putans tempora usque ad annum iubilei significat
sacerdotem qui tempora presentie perfigit et diffinit
quibus pacto sequitur plena remissio peccatorum
Et de ista computacione temporum usque ad annum
iubilei habetur Levitici c. ult. et fine. Et istud
in effectu sequitur ibi dominus Dominicus super dicta
glossa dicens quod annus iubileus significat
plene remissionem peccatorum que fit in ecclesia et
sic videtur quod ex predictis possit dici quod tempore
compilacionis decreti erat in ecclesia indulgencia
iubilei et constat quod compilacio decreti
precessit bonifatium octavum de quo infra
dicetur patet ex hiis que habentur extra de reg. et glossa
in q. vi appellacionum interposita in glossa forma
appellabant hic est. Et sic patet ex predictis
quod iubileus potest sic diffiniri. Est quedam
remissio cunctorum rite penitencium que fit
in anno quinquagesimo et ad hoc facit glossa
que incipit a pena et culpa in cle. i de
pen. et remiss. dicens quod illa est plenissima
peccatorum remissio que datur in anno centenario
et illa sequitur ibi omnes scribentes. Possit
etiam dici quod iubileus est animi cantus
voce quadam confusa pre gaudio qui cantus
in anno quinquagesimo cunctorum fidelium
in remissionem habetur et pro hoc videtur probari per id
quod notat glossa relata ad textum in verbo iubilet
in cle. i. de reliq. et ve. sanc. que etiam dicit
quod iubilus sive iubileus est gaudium quod
verbis explicari non potest quia velit quod ille qui
istud iubileum consequi desiderat debet habere
gaudium mentale in pura conscientia que
inducit tale gaudium quod verbis explicari
non potest. Et considera quod ideo dictum

Alex.

Diffinitio iubilei